

## ADDITIO

lem errorem committet, vt examen istud locum habeat, sed solum vnâ, aut alterâ vnitatem a scopo aberrabit; ita vt facilè tunc examen hoc ostendat, errorem fuisse commissum, indicetque proinde, corrigendam esse additionem. Quis enim ita insanus fuerit, vt vltimam illam summam ex primis duobus numeris colligat? Denique nisi de industria numeri ita disponantur, vt reiectis 9. semper idem residuum sit, vix aut raro admodum continget, vt examen istud succedat, nisi quando in additione erratum non fuerit.

*Secunda probatio additi-  
onis per 7.*

Alio modo fit examen per abiectiorem septenarij, hoc pacto. Reijciantur 7. ex omnibus numeris addendis, quoties fieri potest, & id, quod superest, seorsum ponatur in vnâ parte crucis. Deinde ex summa collecta reijciantur quoque 7. quoties fieri potest, ac residuum in altera parte crucis collocetur. Si enim hoc illi priori residuo fuerit æquale, rectè facta est additio; si verò inæquale, non rectè. Reijcienda autem sunt 7. ex singulis numeris addendis seorsum, residuaq; ad dexteram è regione ipsorû locanda, & ex his residuis in vnâ summâ collectis etiam abijcienda 7. atque hoc vltimum residuum in vna parte crucis ponendum. Cæterùm non eodẽ modo reijcienda sunt 7. quo abijcienda esse 9. diximus, cum hic numerus 7. illam proprietatem nouenarij non habeat: sed assumenda sunt duę figurę primæ ad sinistram, ac si prior earum denas, & posterior vnitates significaret, dummodo prior minor sit, quàm 7. (Nam si esset 7. vel maior, reijcienda forent 7. ex illa so-

*Quo pacto reijcienda sint 7. ex quolibet numero.*

la so-